



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxx. Ad occultum morbum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

tum iniiciantur, & nunquam ex capite laborabit. Vel rutam syluestrem cum oleo Hispanico in sartagine coquito, donec rubescat: tum ex igne remoueto; & cum refrigererit, in vitreum poculum indito, eoque carnem illitam dabis accipitri edendam.

*Ad fluxionem capitis.*

**A**CCIPITREM fluxionibus laborantem ita curabis. aloen in iocinoris modum concretam non multum contundes, in carnem abdes; atque ita per septem dies ales, & ad sanitatem perduces. Vel balsamum, picem, cedrium, semina erucæ & rutæ, acetum, simul conteres, hisque caput accipitris oblines.

*Ad occultum morbum.*

**A**CCIPITRIS interiora ægrotare ex nimio frigore cognosces, cum excrementa reddit crocea, aut cruenta: alas autem habet remissas & laxas, capitis horrentes plumas. ita curabis. Suillam carnem butyro oblitam accipitri dabis. Caprinam carnem salsam, & panem bene coctum, infriatum in lac addes, accipitrique dabis. Hoc tamdiu facito, dum stercus purum reddat, & corpus confirmatum videas.



à frigido abſtineat. Vel ſuccum cydonij, aut citrij pomi miſcebis cum vino veteri aut melle, eoque carnem oblitam accipitri dabis.

*Ad pituitam ſiccam.*

**A**CCIPITREM pituita arida laborare cognoſces, cum videbis oſcitantem, liquoremque per nares non emittentem. Hoc remedium ei auxiliabitur. Vnæ tami- niæ, piperis grana ſeptem, folij, quantum duo digiti capere poſſunt, caryophylli grana quinque, nardi ſpicatæ ſiliquam: diligenter vnà contundito, & poſtquam vino vetere illius palatum elueris, ex hoc medicamento capito, quantum duo digiti capere poſſunt, eoque palatum ipſius fricato; deinde in ſole illum collocato: ad horam octauam eſca ei præbeat hircina caro, & ſanabitur. Vel mel Atticum, ſemen hyoſcyami, butyrum ſubigito, hiſque palatum fricato, & pinna nares illius inungito. Alij ipſum ita curant. allium cum vino veteri contuſum naribus infundunt. Alij cupreſſi grana ſeptem, ſemen caprifici, braſſicam conterunt vnà, & naribus infundunt per triduum, ac ſæpe piper adi- ciunt.